

00 Kr

Y 94<sup>2</sup>  
Am

DISPV TATIO MEDICA  
IN AVGVRALIS  
*DE*  
**HAEMORRHOIDIBVS**

*QVAM*

D. O. M. A.

*AVCTORITATE ET CONSENSV INCLVTI  
MEDICORVM COLLEGII IN ILLVSTRI*

*ACADEMIA IULIA*

*PRÆSIDE*

*VIRO CLARISSIMO*

**DN. HENRICO MEIBOMIO**  
MED. DOCTORE ET PROF. PVBL.  
MEDICÆ FACVLTATIS DECANO  
SPECTABILI ET ARCHIATRO  
GVELPHICO

**DN. PATRONO PRÆCEPTORE ET PROMO-**  
**TORE PLVR. VENERANDO**  
**PRO LICENTIA**

*SVMMOS HONORES ET PRIVILEGIA*  
*DOCTORALIA IN ARTE MEDICA RITE*  
*CONSECVENDI*  
*PUBLICE IN JULEO MAJORI*  
*EXAMINANDAM PROPONIT*

**PETRUS CHRISTOPHORUS Stockhausen**  
GOSLARIENSIS  
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS  
*AD DIEM XXIX DECEMB.*

---

*HELMESTADII,*  
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typogr.  
ANNO CIC 19 C LXX.



Q. D. B. V.  
DE  
HÆMORRHOIDIBVS

THESES I.

**V**ox *αιμόποις* diversas apud autores significations habet. Origine Græcam esse, satis est manifestum; componitur enim ἀντὶ τῆς *αιματος*, quod sanguinem, & verbo *ρέεθαι*, quod fluerre significat: unde primo idem quod *αιμόποροια*, sanguinis nempe ex quacunque corporis parte præternaturalem fluxum denotat; qua significatio generali ab Hipp. in Prorhet. & Aristot. quoque 3. de part. anim. c. 5. hæc vox accipitur. Deinde tamen magis restricta est significatio, ad sanguinis fluxum ex ani & quodammodo uteri vasis. Celsus l. 6. c. 18. Tertium autem ani vitium est, ora venarum tanquam capitulois quibusdam turgentia, quæ sepe sanguinem fundunt, *αιμόποιδας* Graci vocant: addit mox; idque etiam in ore vulva fæminarum incidere consuevit.

II. Hinc autem, cum ex vasis illis profluere non infreenter sanguis observaretur, ipsa vasa *αιμόποιδες* vocari cœperunt, quæ ad rectum intestinum, tam venosa, quam arteriosa feruntur, estque id hodie omnibus Anatomicis usitatum. Ulterius dein progressi Medici, contra naturam, & significationem vocis, cum præter naturaliter vasa illa inrumpescunt tantum, & protuberant, circa sanguinis effluxum, hæmorrhoides vocarunt. Ita nos quoq; præmissa nunc brevi vasorum illorum ad anum tendentium descriptione,

A 2

affectus

affectus præter naturam ipsis accidentes, sive cum fluunt, sive  
cum tument dolentve, considerabimus. Et tum quidem ubi  
fluunt, hæmorrhoidalem fluorem, hæmorrhoides apertas,  
vocant Medici, quasi non jam tum ipsa vox Græca fluxum  
denotaret. Germani vulgo vasa ipsa, die rück Adern/vocant;  
vel quod quædam eorum à vasis magnis in dorso oriantur,  
vel quod ingruente hoc fluxu, circa dorsum præsertim,  
motum plerumque sentire possint: item die gûlden Adern  
à commodo, quod valetudini præstans, quoies natura beneficio  
tempestive aperte, aut qualitate noxiū humorem, aut quantitate  
gravantem, deponunt: quod enim utile est, id illi aureum sub-  
inde vocare solent: quemadmodum recte Reinerus Solenander  
Sect. IV. Consil. XX arguit. Fluxus dein vocatur der Gûlden  
Adern Flus. Quod si verò præternaturam intumescant  
hæc vasa, nec fluant, Germanis à figura quam habent die  
Tassen / s. Feizwärzen / vulgo cæcæ adpellantur; rectius  
tamen clausas vel dolentes haud immerito dici putat Felix  
Platerus, Tract. II. prax. cap. xv. siquidem illud ab oculo de-  
sumum simile huc plane non quadrat. Alii hæmorrhoides  
suppressas vocant, itidem plane inconvenienter. In  
clausis enim hæmorrhoidibus, sanguis jam tum affluxit, &  
vasa copiâ suâ in tumorem, cum dolore ut plurimum con-  
junctum, dum effluere non potest, elevat: in suppressis autē  
qui debebat, plerumq; non affluit. Adeoq; hæmorrhoidum  
suppressio tum demum dicitur, quando in assuetis solita hæc  
evacuatio, tempore, quo alias naturaliter qd. debebat, non  
supervenerit, sed peccans sanguis aliosum vergat, ibique  
corpori incommoda inferat; quo eriam sensu rectissime à  
modo laudato Platero Tract. I. prax. L. II. c. XIV. hoc vo-  
cabulum accipitur, & à clausis hæmorrhoidibus distingui-  
tur; similiter ut in foeminis de mensium suppressione idem  
vocabulum solet usurpari.

III. Jam

III. Jam ut omnia dein rectius intelligantur vasorum hæmorrhoidalium historiam in antecessum proponemus. Apud Veteres non sit distincta mentio arteriarum & venarum hæmorrhoidalium, nec venarum ipsarum distinctum exortum cognitum habuerunt. Ex Recentiorum verò Anatomicorum accuratori observatione sequenti modo seres habet. Alia vasa sunt interna, quæ ad interiorem intestini recti partem, alia externa, quæ ad exteriorem propagantur. Interna vena, à portæ vena semper originem suam habet, variante tamen subinde exortu: nam modo à ramo mesenterico sinistro, modo dextro, modo à ramo splenico, vel intra lienem, vel extra illum, pronaſcit, & ad intestini recti partem internam descendens, communem mediumq; intestinorum tunicam perforat, & variis ramulis inter hanc & rugosam, hinc inde repit, variasque inter se se anastomosescit. Arteria huic vena respondens mesenterice arteria inferioris ramus est, vide Highm. T. x. d. e. c. e. quamvis alii, & celeberrimus quoque Aquapendens, illum non agnoscant. Externa à venæ cavæ ramo hypogastrico enata, ad partem externam intestini propagatur, ibique in musculum cingentem intestinum inseritur, varieque per ipsum discurrit, dein adhuc exterius magis podicem & alium sphincterem cutaneum, & ipsam etiam cutem petit, ibique varie intertexta finit. Arteriam comitem habet, omnibus consentientibus, ipsaque à v. p. à ramo arteria magnæ hypogastrico. Sunt autē vasa externa hæmorrhodialia majora internis, & plura quoque, illorumque ab utroque latere ramus observatur, horum non nisi unus.

IV. Licet autem Veteres, & qui ante verum sanguinis motum inventum vixerunt, Recentiores pene omnes, per venas in hoc morbo materiæ affluxum fieri autument, Vesalius insuper lib. 3. de Fabr. corp. hum. c. 5. dissecto cadavere

davere, viri cuiusdam hæmorrhoidibus antea laborante; venam hæmorrhoidalē triplo majorem solito invenerit, circulari tamen illo motu salvo manente, nulli dubitamus, quin per arterias modo memoratas similiter ut ad alias partes ita ad intestinum rectum quoque sanguis propellatur.

V. Non admittere etiam ea possumus, quæ antehac hypothesibus suis innixi, de diversi exortus venarum hæmorrhoidalium usu, diversoque sanguine per eas effluente dixerunt, cum si hic per arterias descendit, uti omnino facit, tam ille, qui per mesentericum, quam qui per hypogastricum ramum fluit, ex corde veniat. A liene certe sanguis profluere nequit, uti dein pluribus dicetur.

VI. Sunt autem hæc hæmorrhoidalia vasa ad intestini ex tremitatem propagata, ut calorem, vitam, nutrimentumq; acciperet, ideoque naturaliter non magis, quam alia vasa sanguinea hiare, aut quicquam profundere debent. Etsi enim hæmorrhoidum fluxus, in assuetis debitum tempus, debitamque quantitatem non excedens, à quamplurimis periculosis morbis, quemadmodum infra norabitur, non nullos præservet, eosque præsentes curet, adeoque quibusdam utilis, & maxime necessarius, imo quodammodo naturalis videatur, haud immerito tamen, & hic à Cl. Sennerto L. III. prax. p. II, l. II, c. 13, & aliis ad præternaturalem fluxum refertur; in primis cum omnibus in corpore nostro exacte juxta naturæ leges sese habentibus, nullus omnino sanguis debeat excerni, sed tanquam balsamus vitæ, & naturæ thesaurus in corpore remanere. Nec obstat quod à natura ipsa fieri videatur talis excretio: quanquam enim à natura, tamen non secundum natura rationem facta, præternaturans esse dicenda est, ut recte loquitur Guarinon. Cons. 512. Pergimus autem jam ad morbi historiam.

VII. Quid statim monendum, quod aliquando hæmorrhoidi-

rhoides internæ, à vena portæ propagatæ, aliquando solum  
externæ, à vena cava prodeentes afficiantur, aliquando au-  
tem tam internæ, quam externæ patiantur. Primo autem  
considerabimus quomodo illæ sese habeant quæ fluunt, &  
Apertæ vocantur.

IIX. Solent ægri imminente hoc fluxu plerumque  
percipere motū, cum in abdomine, tum præsertim circa dor-  
sum, & stuporem aliquem crurum, quæ tamen symptomata  
post apertione vasorum hæmorrhoidalium plerumq;  
cessant.

IX. Modo etiam fluxus cum dolore fit, frequentius sine  
eo; quod postremum Petr. Forestus L. xxvi, obs. III. in Scho-  
liis de parente suo testatur. Hanc ob caussam non raro iti-  
dem contingit, ut nisi ipsis oculis sanguinem videant, se hoc  
affectu laborare, nesciant ægri: quemadmodum vir quidam  
huic fluxui frequenter obnoxius mihi retulit.

X. Interdum levis quædem diarrhæa adest, & irritatio  
circa anum, unde etiam aliquando observatum prociden-  
tiam ani subsequutam.

XI. Quod excernitur non semper se eodem modo  
habet, ratione consistentiæ, quantitatis, qualitatis &c. qualia  
considerationem utique merentur. Cumque sanguinem  
vehant hæc vasa, plerumque etiam quod excernitur colo-  
rem, naturamque sanguinis refert. Nunc tamen rubicun-  
dior ille est, & floridior, nunc atter, quin imo sæpe si diu du-  
ret ille fluxus, in principio quidem atrum, dein vero rubicun-  
dum, & denique aqueum serosumque excerni, scribit Doctis-  
simus Solenander Sect. III. Cons. xx.

XII. Aliquando tenuis est & fluidus admodum, aliquan-  
do crassus, fœculentus, grumosus, concretus. Post acerbissi-  
mos capitis dolores, ab hæmorrhoidibus suppressis, deglu-  
titis pillulis de hiera, cum aliquot granis euphorbij, intra-  
hor

horænius spatium, frustum sanguinis concretum, palmam  
æquans, ut & postea alia minora cum momentanea alleva-  
tione excrevit Salmuth; ut ipse refert, Observ. Medic. 73.  
Cent. I.

XIII. Aqueum serosumque non infrequenter est id,  
quod excernitur, tincturam tantum sanguinis habens, ali-  
quando ne illam quidem. Nuper Nobilissimus & Celeber-  
tissimus plurimorum Principum Archiater D. Theodorus  
Conerdingius, in Arthritico graviter decumbeate, vehe-  
mentes oboriri hæmorrhoidum dolores cum tumore nota-  
vit, intra paucas autem horas apertione sponte factâ, lim-  
pidissimum serum ad plures libras effluxit, tam acre & cor-  
rosivum, ut partes mafefactas corroserit & excoriariat: uti  
refert in literis ad Cl. Dn. Præfidem.

XIV. Alias pituitosus observatur, albus, viscosus  
puri similis, aut etiam albumini ovi, ut idcirco Plateus hos  
fluxus hæmorrhoidales cum menstruis mulierum albis com-  
parat. Vid. Fernel. l. vi. pathol. c. 10. Sennert. Prax. l. 3.  
p. 2. f. 2. c. 12. 9. 1. Celeberrimum D. Schneiderum l. 3. de  
catharr. c. 7. in fin. Neque verò existimare amplius debe-  
mus, diversum sanguinem pro diversitate apertarum vena-  
rum, s. internarum s. externarum profluere, & per internas  
sanguinem evacuari crassiorem, & fœculentiorem; repu-  
gnat enim hoc experientiæ, & doctrinæ de sanguinis motu  
ut jam supra innui.

XV. Quantitatem profluentis humoris quod atti-  
net, admodum varia illa est: aliquando quidem minima  
copia fluit, ita, ut una alterave guttula tantum appareat,  
quod et si itidem præternaturam sit, ut supra diximus, ta-  
men à Medicis non attenditur. Alias ad uncias fluere ob-  
servatur, imo ad libras quoque. Libram unam quotidie ex-  
cretam in Nobili Hispano observavit Dominic. Panarolus  
Pente-

Pentecost. 2. obs. 46. duas libras & amplius ex Montani obseruatione Schenckius refert l. IIII. obs.

XVI. Ad cuius quantitatis rationem incundam considerari debet tempus, per quod fluunt. Neque enim admiracione caret, quod in memorato exemplo quotidie & quidem per quadraginta quinque dies id fieri vedit Montanus, quotidie itidem & per plures annos, in Nobili Hispano Panarolus, manentibus tamen illis superstibus. Alias tempora fluxus non eodem modo sese habent, & per varia intervalla redeunt, nec æque diu durant. Qui per integrum mensem laborarit, Sodenander habet sect. I V. cons. xx. Qui per viginti dies intercedente dein mensis intervallo, refert Gvarinon. cons. 8. Et notabilia quædam exempla virorum qui singulis mensibus per hæmorrhoides, ut foeminæ per ute-rum, fucrunt purgati ex Vesalio, Zimara, Amato Lusitano habet Schenckius l. c. Confer Marcell. Donat. histor. Med. mir. l. 4. c. 19.

XVII. Ad excretionis rationem pertinet etiam illud, quod à Dominico Panarolo annotatum est, singulare plane, exemplum senis cujusdam, cui, cum juveni hæmorrhoides salubriter fluxissent, ex iteratis actibus, motus naturalis in voluntarium conversus est, ut potuerit dein, quotiescunq; se male habuerit, sanguinem pro lubitu nunc majori, nunc minori copia, excernere. Pentec. 2. obs. 47. Illustratur autem hæc historia eo, quod in non paucis animadvertisimus tum demum fluere hæmorrhoides, cum aluum egerunt aut cum cum egerere nituntur, fœcibus licet non prodeuntibus.

XIX. Ad hos verò hæmorrhoidales fluxus, alios præ aliis proclives esse, experientia nos docet. Quibus semel fluxerunt, iis dein facilius iterum fluere, notissimum est, fitque hoc ipsum in aliis quoque quibuscumque fluxibus. *Qui-*  
*Busdam*

busdam etiam familiis consuetas esse hæmorrhoides, scribit Scholiares Hollerij lib. I. de morb. internis cap. 55. Id quod de Comitibus quibusdam confirmat Moccius apud Schenckium & Solenander.

XIX. Ratione quoque regionum differentia est. Meridionales populos hæmorrhoidibus esse obnoxios, notavit Hipp. lib. de Aere Aq. & loc. c. 4. §. 7. Qui septentrionalis plaga incolunt paucissimi solent hæmorrhoides habere, contra qui meridionalem, inquit Aquapendens, querit autem rationem in frigidiori aëre septentrionis, qui venarum ora adstringat, cum contra calidior relaxet. Aliis quoque de caussis endemios esse quibusdam regionibus hos fluxus, de Venetiis, Patavinisque annotavit Fonseca t. I, consult. 27.

X. Ratione etatis, ante pubertatem hæmorrhoides non accidere, jam tum Hipp. in Coac. Prænot. cap. 512. est notatum. Provectioribus autem, ab anno trigesimoquinto, ad sexagesimum contingunt juxta aphor. 30. sect. 3. & lib. de Aér. Aq. & Loc. c. 4. viris hæmorrhoides in sede supervenire scribit.

XI. Fœminæ quia menstrua habent, & quamdiu illa statim temporibus ab hæmorrhoidibus liberæ ferè sunt. Sennertus tamen Pract. I. 3. part. 2. sect. 2. c. 13. Novi, inquit, nobilem fœminam corporis constitutione sanguineam, affectioni tamen hypochondriaca obnoxiam, que singulis mensibus ordinario & quidem die post menstruum fluxum decimo quarto, hæmorrhoides pariebatur. Hoc tamen rarissimum exemplum est. At ubi suppressi menses fœminis, natura sæpe sanguinem per ani vasa emittit. Observavit hoc jam tum Hipp. in Coacis. n. 414. Et apud eundem Epidem. IV. c. 14. filia Ædilis mensibus non prodeuntibus, per duos annos hyeme habuit hæmorrhoidas. Et Sylvaticus in Illustrissima

strissima Matrona Veneta, suppressioni mensium supervenisse statuum & ordinatum fluxum hæmorrhoidalem, annotavit Cent. 2. Conf. 95 In gravidis quoque Scholiographus ad cap. 55. lib. 1. Hollerii de morb. intern. notavit hæmorrhoides utiliter fluxisse in duabus mulieribus nobilissimis, jam quatuor menses in utero habentibus, in quibus tamen partus tempestivus consequutus est, & saluberrime adolevit. Fuit autem frequens, & multus fluxus, sanguis ferè dilutus, qui ubi substitit, gravius habuerunt, excluso, evatae sunt.

XXII. Conjunguntur cum hæmorrhoidibus varia symptomata, quæ tamen non semper dependent ab hæmorrhoidum fluxu, sed potius ab illa causa, quæ hæmorrhoides quoque movet. Non nulla tamen ab ipso hoc fluxu dependent, rectiusque dein à nobis inter prognostica memorabuntur.

XXIII. Jam ad clausas hæmorrhoides pergitimus. In his tumor, cum dolore conjunctus, observatur, qui quidem dolor sæpe numero insignis est, imo aliquando adeo acerbis, ut laborantes ad desperationem pene ducat. Potissimum autem eos afficit, quando excrementa duriora volunt emittere, partibus dolentibus inde compressis. Tumor ut plurimum conspicuus est, aliquando tamen ubi interna vasa tument, non nisi speculo ani adhibito, aut inverso intestino, videri potest, ipsi tamen ægri inter excernendum, esse ibi aliquid, quod renitur, deprehendunt. Estque nunc major ille, nunc minor, & aliquando ovi columbini, imo gallinacei magnitudine, divertæ etiam figuræ, unde varia nomina imposita, ut quædam hæmorrhoides à similitudine cum uvis, uvales, cum moris, morales, aliæ verrucales, aliæ vesicales, appellantur. Et tum quidem major etiam appareat tumor, cum inflamatio accedit.

B 2

quod'

quod quidem non adeo infrequens est. Solet etiam præter inflammationem exulceratio fieri, non sine intolerabili dolore, ut exempla docent apud Platerum Obs. l. 2. Quin si præsertim male tractentur, gangræna supervenit, & sphacelus, cuius exemplum habet Aquapendens, de Opera Chirurg. p. 299. Vlceræ quoque hic facillime in fistulas aequaliunt.

XXIV. Sed jam ad caussas progrediamur necesse est. Vbi statim occurunt Remotæ, seu Externæ, quæ sensibus, & ex relatione ægri & adstantium, haberi possunt, pertinentque adhuc ad integrum morbi historiam. Agemus autem prius de caussis Apertarum hæmorrhoidum, quamvis ex illis quædam clausis quoque communes sint, ut facile patebit, & nos subinde memorabimus.

XXV. Cum autem in hoc affectu sanguinis ex vasis fiat profusio, itidem manifestum, multas hunc fluxum producentes caussas, cum aliarum hæmorrhagiarum causis, maximam partem convenire: in quibusdam tamen peculiaris ratio est, & illa à nobis potissimum annotabitur.

XXVI. Ubi illud primo loco occurrit, sæpe hoc vietum, dispositione in primâ generatione, à parentibus eo laborantibus, in liberos propagatâ, hæreditarium esse: quomodo supra certis quibusdam familiis proprium hunc morbum esse annotavi, novique ipse hic fœminam hæmorrhoidibus obnoxiam, cuius duo filii, & una filia, itidem illis laborant.

XXVII. Deinde ex numero sex Rerum Necessariarum, aliás perperam tamen, Non naturalium dictarum considerandus est Aér, sine quo ne momento vivere possimus, qui vel dum in inspiratione intrat, vel dum corpus undique ambit à Galeno alterare recte dicitur, lib. 1. de diff. febr. cap. 4. Dictum vero itidem jam tum supra est §. 19.

Pro

Pro ratione locorum fluxus hos , aut frequentiores esse,  
aut minus , in qua quidem re non parum Aëri tri-  
buendum est , cum videamus in iisdem locis pro varie-  
tate aëris, juxta anni tempora, id ipsum contingere. In-  
terdum tamen quod quibusdam locis hic affectus quasi  
Endemius sit , aliunde contingere potest. Notandum , in-  
quit Rodericus à Fonseca t. i. consult. 27. quod hæmorrhoi-  
des sint morbi regionales , & endemii frequentissimi Venetiis, Pa-  
tavii, & locis circumviciinis , quarum causa multiplices esse vi-  
dentur. Prima est frequentissimus usus pillularum aloes. Se-  
cunda tumores lienis , qui & ipsi quoque frequentes sunt in his  
locis. Tertia multiplex usus medicamentorum purgantium ,  
clysterium , & suppositoriorum. Quarta attrito partium illa-  
rum : quorum pleraque ex mox dicendis majorem accipi-  
ent lucem.

XXIX. A cibo , & potu, etiam provocari hæmor-  
rhoides, certum est; si enim ille nimius sit , & pro ratione  
corporis plenior , inducit plethoram , unde vasis præter  
modum repletis, aliquando alibi, sæpe in ano, sanguis exi-  
tum querit. Quin & actior cibus , & potus , dum san-  
guinem talem quoque facit, causa esse fluxus hujus po-  
test.

XXIX. A quiete nimia , nisi quatenus plethoram  
etiam inducere apta est , non videntur oriri hæmorrhoidum  
affectus. At nimius motus, cum totius corporis, tum  
partium illarum inferiorum , non infimo loco inter causas  
ponendus est. Ab equitatione succussoria, aut vectio-  
ne incommoda , sæpe numero hoc malum multos sibi  
conciliasse, vidit Rein. Solenander, sect. iv. Cons. xx. A-  
liam adhuc quam quæ inter equitandum contingit , parti-  
um illarum attritionem, cum de Venetiis & Patavinis loqui-  
tur Fonseca, intelligere videtur, hic non explicandam.

XXX. Porro si ea quæ excerni debent, retineantur, hæmorrhoides concitari constat. De alvi excrementis diutius retentis, manifesta ratio est, quia dein sub scybalorum forma exeuntia, vasa ani facile possunt lacerare. Quæ verò alias in corpore retinentur, cum excerni deberent, solent plethoram inducere, unde dein hæmorrhoides. Ita à mensum suppressione fluxus illos fieri, vel id probat, quod foeminæ rarissime, & vix semel, aut iterum nisi menstruis suppressis, hæmorrhoidalì adfectu laborasse, observatae sint. Faciunt verò id retenta quoque, quatenus sanguinem reddunt acriorem,

XXXI. Merentur dein inter caussas quoque referri Animi ~~irritationis~~, ira præsertim, cuius hac in re effectum haud ita pridem, in viro quadragenario, manifesto observavi. Ille enim sæpius ad iram concitatus, die statim subsequenti, de gravativo sinistri hypochondrii dolore, & murmure circa umbilicum, conqueri cœpit, unde sub noctem sæpius surgere, alvumque excernere coactus, die tertio ingruente, sc̄ hæmorrhoidalì fluxu laborare animadvertisit. Continuavit ille fluxus cum levi diarrhoea & ani procidentia, per ostium, ubi tum omnia hæc symptomata remiserunt, & à dolore hypochondrii fuit liberatus æger. Retulit autem, sæpius hoc ipsum sibi contigisse, ut post iram obortam fluxerint hæmorrhoides.

XXXII. Præterea docet experientia, propter intestini rectivulnera, ulcera, percussionses, contusiones, hæmorrhoides quoque ortas. Quod & in quibusdam factum post majorum partium, ut manus, pedisve abscissionem, experientia item probante: fiunt enim hujusmodi mutili plethorici.

XXXIII. De purgantibus pene vulgaris est observatio, illa sanguinem ex ani vasis educere. Scribunt autem Practi-

Practici à longo jam tempore , Aloën peculiarem vim ora  
vasorum aperiendi habere, id quod tamen alii negant ceu  
videre est apud Sennertum l. c. experientia nihilominus  
priorem sententiam confirmante , quam allegant Reiner.  
Solenand. l. III. cons. xxxix & Fallop. de simplic. Medic. fa-  
cult. Fonseca l. supra cit. Caveat, inquit , omnino à pillulis  
de aloë : nam aloë aperit ora venarum, & hæmorrhoidas a-  
deo inducit , ut ex centenis his pillulis utentibus , nonaginta  
hæmorrhoidibus laborent . Postquam etiam pillulae Fran-  
cofurtenses dictæ, quæ aloëticæ sunt, tanta cum laude ex  
tolli ceperunt, longe plures sane, quam antea cum alibi, tum  
Francofurti, hæmorrhoidalì fluxu correptos esse præclarì  
Medici probe observarunt : ut proin de rei veritate mini-  
me sit dubitandum: quamvis ratio non ita pateat, de qua  
tamen disputare nolo. Et usum Hieræ , cuius basis aloë  
est, & aloen ipsam non solum iis, qui eos pati consueverunt,  
hæmorrhoides aperire, sed & alios minime assuefactos ad  
hoc profluvium disponere , & experimento sibi ipsi com-  
pertum esse, quod ardorem & tumorem ano inducat, scribit  
Reinerus Solenander Medicinal. Cons. xx. sect. iv.

XXXIV. Neque tamen hac in re plane peculiare  
quid habet aloë, cum & alia purgantia, magna dosi exhibi-  
ta, id faciant, ut de colocynthide & scammonio notavit  
Sennertus l. c. præsertim si ea nimis diu continentur, aut  
hypercatharsin inducant, non tantum reliquos humores  
ex intestinis evacuant, sed ipsum tandem sanguinem ex  
vasis mesaraicis, & hæmorrhoidalibus eliciunt, ceu claris-  
simorum Medicorum observationes docent. Post longas  
diarrhæas etiam id contigisse aliquando, notatum est. Ob-  
servatum etiam est nimium & diu continuatum usum eo-  
rum medicamentorum, quæ urinam movent, & in foeminis  
mensium fluxum, hæmorrhoides procurare.

XXXV.

**XX XV.** Cum purgantibus porrò quodammodo  
hac in re convenire videntur venena omnia acria, & cali-  
da, quæ ore hausta præter cætera funestissima symptomata,  
id quoque agunt, ut non tantum reliqua mesenterii vasa  
sanguinea, verum etiam hæmorrhoidalia aperiantur, & san-  
guinis fluxus gravissimus inde exortatur. Neque verò so-  
la quæ ore assumentur, tale profluvium excitant, sed forte  
etiam alia, quo cunque modo sanguini communicata, ut à  
morsu serpentis, inde nomen hæmorrhoidis, vel hæmorrhitus  
habentis, sanguinis fluxus fieri ex variis corporis patribus,  
scribitur. Vid. Gal. lib. de Theriac. ad Pison, c. 8. Diosc. l. vi.  
c. 50. Paul. Æginet. De Art. Med. Lib. v. c. 16.

**XXXVI.** Enemata, & suppositoria, sive glandes, hæ  
præsertim ex acrioribus compositæ, ut sale, nitro, felle, co-  
locynthide, & aloë, quæ omnia acria & vehementer amara:  
illa minus dextra applicita & cum violentia intrusa, aperi-  
re solent hæmorrhoides, Doctissimo R. Solenandro l. c. id  
monente, quo facit etiam observatio apud P. Forestum Lib.  
23. Obs. iv. de Jacobo Heutero, cui à glande hic morbus  
contigit. Estque res vulgo satis nota, quæque proin cau-  
tos Medicos fecit, in adhibendis his remediis, iis, qui semel  
hæmorrhoidibus laborarunt.

**XXVII.** Ex caussarum remotarum numero, quæ  
hæmorrhoides apertas producunt, quasdam clausis com-  
munes esse, supra monuimus. Et revera omnes ante me-  
moratæ caussæ, quæ sanguinis fluxum ad illa ani vasa conci-  
tant, aut etiam sanguinem in corpore nimium augent, hæ-  
morrhoides clausas inducere possunt; quod enim sanguis  
non effluat, aliunde dependet, ut suo loco notabitur.

**XXXIX.** De Acribus sive interne adhibitis medi-  
camentis, sive externe, de vulneribus, ulceribus, &c. alia  
res est, quippe quæ apertas, non clausas, faciant hæmor-  
rhoïdē.

rhoïdes. Ita si sanguis aërior & subtilior ad hæmorrhoida-  
lium vasorum extremitates delatus sit, acrimonia, & tenui-  
tate sua eadem aperit: in clausis vero hæmorrhoidibus  
sanguis crassitie potius, & visciditate peccare videtur.

XXXIX. Solent communiter Practici inter caussas  
remoras Hæmorrhoidum clausarum recensere Refrigera-  
tionem partium illarum circa anum, usum medica-  
mentorum refrigerantium, incrassantium, adstringentium  
ut & ciborum, sanguinis itidem per alias vias superiores  
imprimis, effluxum &c. Verùm nemo non videt has esse  
potius caussas suppressarum hæmorrhoidum, in illis, qui-  
bus jam ante fluxerunt, quæ, si accurate loqui velim, di-  
stingui à prioribus debere, jam tum supra dictum est, quam-  
vis in quibusdam convenienter inter se sint.

XL. Restant nunc proximæ caussæ ex modo dictis  
investigandæ. Quoniam verò inter Apertas, & Clausas hæ-  
morrhoides non leve est discrimen, caussæ quoque illarum  
proximæ distincte considerandæ sunt.

XLI. Hæmorrhoidum igitur fluentium caussa proxi-  
ma est ipsorum vasorum in ano aperiens, fitque ea dupli-  
modo, vel per *avasivatōn*, quando venarum aut arteria-  
rum orificia à sanguine nimis dilatata, aperiuntur: vel per  
*diageon*, quando erosione aut ruptione vasis facta sanguini  
via ad effluendum patula fit: Quam enim nonnulli ad-  
dunt *diamónon*, per quam sanguis tenuis sudoris instar va-  
sorum tunicas rarefactas penetrat; ea forte aut nunquam  
est observata, aut certe rarissime.

XLII. Hic autem jam queritur, cum duplia sint  
vasa, arteriosa, & venosa, per quæ fiat effluxus? supra qui-  
dem §. IV. diximus, omnem affluxum fieri per arterias, at  
hic de effluxu queritur? Illum vero ex arteriis fieri posse,  
& sèpè numero fieri, nihil obstat, cur non afferamus. In-

C

terim

terim tamen venarum quoque orificiis apertis profluere sanguis ex vena potest, cum nec ubique valvulae sint id impeditentes, & venæ varicose protuberante positus quoque valvularum nonnihil immutetur. Dum tamen venæ officio aperto sanguis ex vena contra ordinarium motus à natura facti legem descendit, simul & ex arteria, cum vena conformatum habente, ad eam fluit, effluitque.

XLIII. Quod si nunc remotæ causæ & proximæ inter se invicem conferantur, plurimas ex illis sanguinis, vel quantitatem vel qualitatem, vel denique motum vitiosum reddendo, quasdam verò vasa ipsa lœdendo, & corroden-  
do, hasce producere, pluribus ostendi posset, nisi illa per se paterent, & jam tum ex præmissis satis clara essent, ideoque pauca tantum afferemus.

XLIV. Ανασυρωσι patiuntur hæc vasa potissimum, à sanguine, tum tenuiori, tum copiosius adfluentे, aliquo cum fervore. Talis enim est vasorum hemorrhoidalium plerorumque situs, ut absterso tantum muco hiare quasi, & sanguinis aliquantulum à se dimittere videantur: adeoque si sanguis tenuis facile effluit, aut, si copiosior affluat, extendit tunicas, tandemque orificia aperit, quod tanto facilis sit, si effervescat, & eum aliquo imperu moveatur sanguis.

XLV. Διαιρέσι contingit, ubi ab externa violentia disrumpuntur vasa, quæ varia esse potest, ut supra §. 29. & 30. dictum: vel ab acrimonia exeduntur (*διάβρωσιν* adpellare consueverunt) dum sanguis aut alias humor sive in sanguine latens, sive in intestino hic loci hærens, aut acre quid exterius applicitum, ut glandes, sua acrimonia vasorum tunicas erodit. Quamvis non negem, posse etiam superiori thesi enarrato modo, si sanguis nimiacopia influeret, & effervescat, ruptionem ipsius vasis contingere.

XLVI.

**XLVI.** Clauſarum hæmorrhoidum proxima cauſa  
est sanguis in vasis hæmorrhoidalibus quodam modo sta-  
gnans , eaque præter morem diſtendens , & tumefaciens.  
De hujus tamen tumoris natura aliquid paulo plenius eſt  
dicendum. Primo quæ hic tument vasa, non arteriæ ſunt,  
ſed veṇæ, veṇæ autem dilatatae, quas varices alias adpella-  
mus. Per ſectionem enim deprehendimus eſt, in hæmor-  
rhoicis, cum à Vesalio lib. 3. de fabr. corp. human. c. 5. tūm  
Christoph. Guarinonio Cons. 512. ramos illos venarum, ad  
anum tendentium, immodeſcere dilatatos, quarum ex-  
trema tumores illos magnos faciunt. Et vero uti alibi va-  
rices fiunt, ſic hic quoque, dilatata venarum tunica, par-  
tim à crasso ſanguine, ad motum ineptiore, ideoque sta-  
gnante, plerumque circa valvulas, & pondere ſuo contra na-  
turalem motum deſcendente: partim etiam ab externa vi,  
qualis in hoc caſu à clyſteribus & ſuppositoriis poti-  
ſimum fit. Quod autem varices hic in ano frequentiores  
fere ſint, quam alibi, ejus rei cauſa non improbabiliter  
hæc afferri poſte videtur, quod in alvi excretionibus in-  
duratarum præſertim fœcum, veṇæ hæmorrhoidales ſupe-  
riori ſui parte valde comprimantur, unde motu reſluo im-  
pedito, extrema dilatantur, & intumescunt.

**XLVII.** Jam porro cauſis expositis, Φαιγομένων ma-  
gis notabilium ante in historia propositorum rationem  
reddere conabimur.

**XLIIX.** Dictum eſt ſupra, ſolere præcedere motu  
aliquem, circa dorsum imprimis, aliquando etiam con-  
junctum eſſe dolorem, quod, à ſanguine affluente & in mi-  
nima vasa copioſius influente, membra ſisque diſtenden-  
te contingit, obſervaturque potiſſimum in illis, quibus an-  
te hac non fluxerunt, aut parce, nec dum patulis vasis; pla-  
ne ut in mulieribus ſuos menses patientibus contingit. In  
C 2 aliis

aliis autem dilatatis sufficienter vasis, nec cum dolore, nec cum notabili sensu effluit sanguis. Cessatque plerumque mox ille in dorso, ubi per hæmorrhoides viam invenit sanguis, qui antea per arteria cum aortæ, cum cæliacæ imprimis ramos, ad varias partes delatus, effervescebat. Dolor verò fluxum hunc tūm in primis comitatur, cum vasa rupta aut exesa sunt.

XLIX. Vt verò in menstrua sua habentibus mulieribus aliquando etiam diarrhæa observatur, perturbatione in ventre à sanguine ad partes inferiores delato, & effervescente facta, similiter hic quoque contingit. Et tum etiam ani prolapsus aliquando observatur. Hippocr. l. 2. Prorh. 32. *Sedes*, inquit, *eversuntur & procidunt, viris quidem, quo ubi hamorrhoidas habent alvi profluvium corripit.* Laxatur enim anus diarrhæa, pondere hæmorrhoidum intumescentium trahitur, & musculi levatores laxantur, nec habent potentiam levandi anum.

L. Vnde tantam varietatem habeat sanguis qui excernitur ratione coloris, consistentia &c. non est ita facile explicatu, nec multum refert. Vt enim alias vena secta non cundem educi sanguinem videmus, sic etiam hic fit, pro diversa totius massæ constitutione. Floridior ex arteriis sine dubio est, crassior ille & fœculentior ex apertis venis, ubi aliquamdiu jam stagnavit. Postquam extravasatus est, si adhuc in ano aliquamdiu hærat, nec effluit, grumescit, uti in menstruo sanguine, & illo qui per lochia effluit, itidem observamus.

LI. Quod & alia materia per hæc vasa propellatur, & sèpe sola sine sanguine, ut de sero §. 13. diximus, consideratu est dignissimum; neque tamen quomodo à natura secessus ille materia noxiæ à reliqua sanguinis massa fiat, ut dein sola illa protrudatur, facile est explicatu, quamvis in-

Infinita ejus rei exempla in praxi Medica liceat observare, seri, phlegmatis, puris scorsim excreti. Vbi exulceratae sunt hæmorrhoides, pus profluere mirum non est.

LII. Quod quantitas sanguinis profluentis non una semper eademque sit, dependet à vasis, quorum aliquando plura, aliquando pauciora aperta observantur, à modo apertoris, à natura ipsius sanguinis, ejus copia, & vehementia effluxus &c. quæ quidem vulgo cognita sunt, & in aliis quoque hæmorrhagiis ita se habent, ideoque illis non immorabitur.

LIII. In nonnullis per varia intervalla redire, ab ita aut aliis, in diæta præsertim, commissis erroribus, accideret puto, quod autem in aliis singulis mensibus tamque statim tempore revertantur, ut in mulieribus menstrua solent, res videtur altioris indaginis, quamvis à sanguine menstruo illo spatio sensim sese cumulanter, & sanguinis copia possit quodammodo deduci.

LIV. Id potius quod de voluntario hæmorrhoidum fluxu ex Panarolo §. 17. recitatatur, examen meretur, cum præsertim ille, qui historiam recitat, miretur eam magis, quam caussas explicet. Quas tamen invenire forte non ita difficile est, commodeque hic nobis succurrit Guarinonius, Consult. 112, ubi refert, quendam quoties naturaliter alvum egereret, sanguinem quoque ex hæmorrhoidibus excreuisse, quandoque etiam dum crederet, se alvum depositurum, solum sanguinem expressisse; caussam autem reddit, quod vasa illa, quæ sanguinem fundunt prope musculum podicis orificio sua habeant, ut cogantur constricta manere, dum musculus constrictus est, eo verò remisso, ipsa quoque ora sua laxare queant, ut ita voluntario motu excretio etiam illa, quæ sine voluntate alioquin se exercet, moveatur.

**LV.** Meridionales populos magis hæmorrhoidibus esse obnoxios, quam septentrionales, recte quidem in aëris constitutione querit Aquapendens, eo autem modo ut ipse vult hunc fluxum ab aëre induci, aut impediri, vix persuadere mihi possum, sed quod aër meridionalium populorum sanguinem sua caliditate nimis incendat, & efferve faciat, quod cum frigido non competit, septentrionales etiam populi illis minus huic affectui obnoxii inveniuntur. Quamvis ad hanc rem cibus & potus multum quoque conferant.

**LVI.** Cur ante pubertatem hæmorrhoides non accidant, sed proiectioribus tantum, facile est explicatu, cum sanguine & calore hi magis abundant, & proin magis ad hunc fluxum inclinent quam illi. Quo etiam accedit, quod corpora impuberum adhuc augmententur, & sanguinis pars, quæ in adultioribus, tanquam abundans, excernitur, in illorum nutrimentum cedat.

**LVII.** Denique quod foeminæ non nisi suppressis menstruis, hæmorrhoidibus corripiantur, per se satis clarum est. Enimvero, quamdiu sanguis vel abundans, vel vitiosus per uterum expurgari adhuc potest, non facile alias vias querit; si autem ad uterum ipsi via præcludatur, per alterum ejusdem arteriæ ramum, ad intestinum rectum sparsum, distribuitur, & ibi viam sibi parat: quomodo in gravidis quoque factum arbitror.

**LIX.** His ita expositis ad ea, quæ in clausarum historia occurruunt explicanda accedimus. Vbi primo obvius fit earum tumor, quem non aliter ac Varices in cæteris corporis humani partibus oriri jam tum dixi. Et vero in succussatione inter equitandum sanguis quoque quodammodo deorsum, contra naturam suam movetur, unde vena dilatatur, & continuo à novo per arterias propulso sanguine,

ne, tumor sensim sensimque augetur, & pro ratione sanguinis impetuose influentis nunc major, nunc minor exoritur. Quod tamen interdum ovi columbini aut gallinacei magnitudinem æquare tumor observatus sit, id solis his venis non adeo magnis, tantamque dilatationem non admittentibus, vix adscribi semper potest, sed potius reliquis quoque circa anum partibus tumefactis, inflammatisque. Valde enim rarum est, intestini instar intumescente vasa illa, quod supra ex Guarinonio diximus, qui de mesenterii vasis ita dilatatis, ut speciem intestinalium potius, quam venarum præse ferrent itidem agit consil. 584.

LIX. Simulac porrò vasa illa nimis dilatantur, etiam circumpositæ partes membranaceæ, quibus intertexta sunt, exquisitissimo sensu gaudentes, dum extenduntur dolore afficiuntur, qui dolor deinde in excretione, scybalorum præsertim, propter partium dolentium compressionem, non potest non vehementer exacerbari.

LX. Inflammationis cauſæ hic ut explicitur necesse non est, cum hæc inflammatio nihil præ aliis habeat peculiare. Acrimoniâ vero suâ peccans sanguis, aut extravasatus putrescens, exulcerat partes, solentque hæc ulcera aliorum more etiam aliquando in fistulas degenerare, quin & gangrænam pati.

LXI. De diagnosticis signis pluribus agere forte non est necesse, partim quia affectus per se satis manifestus est, partim quia pleraque in historia morbi jam tum proposita sunt. Ne autem fluxus hic cum aliis cruentis excretionibus confundatur, excrementsa ipsa consideranda sunt, quia in dysenteria & fluxu hepatico sanguis excrementsis alvinis permixtus ex corpore ejicitur: in hemorrhoidibus autem sanguis seorsim ab excrementsis vel post ea excernitur.

LXII. Clausas hemorrhoidas multi Medici præclarū  
CUM

cum mariscis, condylomatibus & thymis, confundere solent, à quibus tamen multum distant, debentque ab iis accurate dignosci, differentiasque cum aliis tum Alex. Massaria Practices 1.3. prosequuti sunt. Ut autem tribus verbis dicam, inspectio omnino diligens facienda est, ubi tum patebit, an venæ ipsæ tumeant, sintque veræ hæmorrhoides, an aliæ excrescentiæ. Solent verò reliqui tumores esse albicantiores, hæmorrhoides maxima ex parte nigricantiores.

LXIII. Post diagnostica signa sequuntur nunc etiam pognostica. Vbi statim inter initia sciendum, quod hæmorrhoides convenienti tempore & moderate fluentes, & multis morbis hominem præservent, & à præsentibus eum liberent. Ita Hippocrates 6. Epid. sect. 3. text. 37. Mariscis laborantes neque morbo laterali neque pulmonario, neque phagedana, neque furunculis, neque thermintis, fortasse vero neque lepris fortasse neque alphis laborare dixit. Hæmorrhoidum moderatus fluxus prohibet maniam idem aph. 4. com. 25.

LXIV. Dein Decubitus & vacuaciones que morbos futuros fieri prohibent, eosdem factos tollunt, ut lib. 6. Epid. sect. 4. text. 40. scribit. Hinc Melancholicis affectibus, & renum virtus succedentes hæmorrhoides bono sunt Aph. 11. sect. 6. In sanientibus si varices aut sanguinis profluxum per hæmorrhoides accesserint insania solutio Aph. 26. l. 6. Cum quo conspirant observationes Galeni lib. 6. Epid. sect. 5. can. 29. dicentis, qui clausis hæmorrhoidibus in insaniam inciderunt, sæpe referatis his venis ab ea evasisse. Melancholiæ ex suppressis hæmorrhoidibus ortam, annua evacuatione curatam, est apud Gal. lib. 3. de humorib. com. 26. & lib. 6. aph. 47. Heutero cardialgia laboranti suo commodo apertas hæmorrhoides, supra ex Foresto annotavimus. Idem quoque ab arthritico dolore Cornelium Zuzium Hollandiæ præsidem apertis hæmorrhoidibus liberatum esse, lib. 23. obs. 4. notavit. Arthriticum

ticum etiam materia limpidissima & corrosiva per hæmorrhoides evacuata, à morbo liberatum esse, ex observatione Nobiliss. D. Theodori Conderdingij §12 adducta constat. Ut contra à suppressis, quæ antea fluxerant hæmorrhoidibus arthritidē incurrit Petrus Monavius, quod de se ipso Epist. ad Craton. 236. testatur. Hæmoptosin his venis referatis curatam Amat. Lusitanus cons. 3, Cent. 5. habet. Cuidam nobili, in gravissimo renum dolore, pus, sanguinem, & crassam pituitam emingenti, cum hæmorrhoides aperirentur, inredibili celeritate dolor conquieuit, ut Scholiograph. com. ad cap 55. lib. Holler. observavit.

LXV. Accipit autem hoc in primis inde quoque magnum lumen, quod hæmorrhoidibus illis, quibus antea fluxerant suppressis, tanta in commoda, ut hydrope, tabem, maniam, hæmoptosin, quartanam, & alia plurima conjuncta habeant. quorum exempla passim apud Galenum, Hippocratem, aliosque præclaros Medicos occurunt, quæ hic anumerare non liber nec licet quoque.

LXVI. Quod si vero hæc evacuatio & fluor immodicus, confertimque factus fuerit, periculosisimos morbos, ut cachexiam, hydrope, atrophiam, & motus convulsivos juxta Hippocratis aphor. 9. s. 7. & sæpiissime mortem ipsam inducere solet, ut apud practicos legimus. Aëtius tetrab. 4. serm. 2. cap. 3. inquit *Hæc affectio malorum plurimorum hominibus causa existit. Nam & deformitatem, & miseram vitam hominibus inducunt, multos vero etiam vita privant: & paulo post addit, ob excedentem evacuacionem perfrigeratum epar aquam inter cutem operatur.* Idem vero Paul. Ægineta lib. 3. c. 59. asserit & de Hydrope Galenus lib. 6. Epid. sect. 5. con. 29. nec non de Venæ sect. ad Erasistr. c. 6. in fine, aliquique plurimi, annotarunt: quan-

D

quam

quam enim per aliquot annos levamen præsent hæmorrhoides, tandem tamen mortem inducunt, uti evenit ab inordinato hoc fluxu, viribus concidentibus, jacobo Horstio hujus Academiæ Julij quondam Professori Medico, referente Gregorio Horstio lib. 4. obs. 52.

LXVII. Præterea qui per *āvaṣṭuaw* effluit, facilius sit, quam qui per *diāgēsw* in qua ipsius vasis portio quedam divisa est, unde difficilior curatio. Externæ etiam hæmorrhoides quoniam medicamenta melius ad eas pertingere possunt, facilius curantur, internæ propter caussam contrariam difficilius.

LXIX. Clausarum hæmorrhoidum tumor & dolor, quo major, eo pejor, solet enim tum facile inflammatio supervenire. Si exulcerentur, periculum augeretur, si ulcus fuerit *xanōñθec*, aut in veteratum, aut fistulæ conjungantur pristinæ sanitatis recuperandæ parva spes superest, ut maximum est periculum si accedat gangræna.

LXIX. Reliquum jam est, ut curationem ipsam aggrediamur: quandoquidem vero in ante cedentibus separatis semper apertas hæmorrhoides consideravimus, & deinde clausas, eandem nunc methodum in curatione quoque proponenda observabimus.

LXX. De apertarum itaque curatione nunc primo foco agentes non immerito statim in initio disquirimus, an etiam debeant claudi? Cui questioni in genere difficulter satisfieri potest. Distinguendum nimis est tam inter ipsum fluxum, quam inter corpora, quibus hic fluxus contingit. Ad fluxum quidem quod attinet, si parum sit illud, quod effluit, nec vires inde debilitentur, sed cum *īvΦο-*  
*ēia* potius ægroti fiat, acurazione melius est, abstineamus, quam, ut medicamenta adhibeamus. Si etiam per notabile tempus jam fluxerint, ut assueta quodammodo na-  
tura

tura videri possit, non temere claudendæ. Sin vero ni-  
mium fluant, totum corpus inde debilitetur, graviaque  
symptomata in prognosi partim enumerata, subsequan-  
tur, aut metuantur, omnino claudendæ, & sanandæ sunt.

LXXI. Ratione corporum quæ hunc morbum incur-  
runt, quibus naturalis quodammodo est hic fluxus, aut qui-  
bus critice in nonnullis morbis supervenerit, iis non sunt  
claudendæ, sed tum naturæ opus est relinquendum. Econ-  
tra verò si corpus morbo quodam, qui ab illis fluentibus  
incrementum capere possit, obnoxium fuerit, Medicus o-  
mni studio eum tollere conabitur.

LXXII. In diuturnis fluxibus non omnes hæmor-  
rhoides esse constringendas, sed unam apetram servandam,  
habetur in aph. 2. sect. 6. quod alias periculum hydropis vel  
tabis metuendum sit. De cuius apherismi sensu varie di-  
spitant interpres, existimantque Hollerius, & Vallesius,  
Hippocratem improbare tantum simultaneam omnium  
curationem: primo enim quasdam esse constringendas, una  
adhuc aperta relictâ, tandem illam quoque: quod nunc  
non disporto. Res enim tantum locum habet in ista, quæ  
manu chirurgica fit, constrictione, non item in illa, quæ  
medicamentis.

LXXIII. His ita expositis, videbimus nunc, quomo-  
do juxta veram medendi methodum nimius hæmorrhoi-  
dum fluxus sit curandus. Respectus autem habendus est  
cum ad caussas remotiores, ut plethoram, cacochymiam,  
sanguinis motum præternaturalem, tum proximas, ut dia-  
stom & diapepsin. Primo itaque de remotarum ablitione,  
dein etiam de proximarum curatione agemus.

LXXIV. Tolluntur vero caussæ remotæ, vel per chi-  
rurgiam, vel per Pharmaciam, vel per convenientem Diæ-  
tam. Ex Chirurgia præstantissimum remedium est Venæ-

sectio.

D 2

sectio, quæ facile reliquis præsidij omnibus palam pra-  
ripit, & non tantum evacuationis, sed & revulsionis  
causa maximo ægri cum commodo semper administra-  
tur, ut per hanc solam hæmorrhagias sedatas, Gal. lib. 5.  
m. m. c. 3. & cum eo alij plures observaverint. Quod  
si igitur hæmorrhoidalis fluxus, à sanguine, copia, vel  
motu, ut ferè semper fir, versus inferiora peccante produ-  
ctus fuerit, in brachio, aut manu, vena quædam aperiendæ,  
& respectu habito ad corpus ægrotantis, modo plus  
modo minus, nunc una vice, nunc partitis vicibus sanguis  
erit detrahendus.

LXXV. Post venæsectionem revulsionis causa ex  
hoc fonte etiam cucurbitulæ, in ijs, qui à venæsectione  
plane abhorrent, aut quibus maxima sanguinis quanti-  
tas per hæmorrhoides effluxerit, ut vires venæsectionem  
vix admittant, vel cum scarificatione, vel sine ea, supe-  
rioribus partibus, ut scapulis, humeris, brachijs &c. sub-  
inde affigendæ sunt. Quæ eti cum venæsectione hac in  
parte comparari minime queant, suam tamen laudem om-  
nino merentur. Frictiones autem, & ligaturæ dolorificæ,  
in brachio institutæ, in hoc quidem profluvio parum for-  
te possunt. Fontanellæ in brachio excitatae, in longis  
profluvijs, ad materiam revellandam, suum hic habent  
usum.

LXXVI. Ex pharmacia caussas remotas tollentia  
medicamenta, evacuantia, & alterantia hic quoque conve-  
niunt. Ad impuritatem sanguinis tollendam, pur-  
gantia ab omnibus laudantur. Ubi tamen à vehementi-  
oribus abstinentur, cum illa sanguinem magis ad hæmor-  
rhoides commoveant & easdem ulterius dilatent, ut §. 33.  
& 34. innui, lenia autem humores biliosos eduentia, &  
præprimis vasa simul constingentia, in hæmorrhoidibus  
à caco-

à cacochymia productis, suo non desituuntur usū. Sunt autem talia præsertim ex simplicibus, thabararum, myrobolani tamarindi : ex compositis syrup. de cichor cum rhabarb. de spina cervina &c. Tamarindos præceteris ad compescendum hunc fluxum miram potestatem habere, Mercurialis scribit. Igitur Recp. Decoct. Tamarind. cum sero caprin. ʒii syrup. de cichor. cum Rhab. rosar. simpl. à ʒi F. Potio, matutino tempore assumenta.

LXXVII. Præterea verò etiam ad corrigendam sanguinis acrimoniam commodissime quoque sudorifera præscribuntur, quorum tamen quædam alijs sunt præferenda. A spiritibus & salibus volatilibus, alias utilissimis, hic, quia sanguinem nimis accendent, tutius abstinetur. Alia verò & sudorem movent, & acrimoniam sanguinis egregie corrugant, aciditatemque imbibunt, qualia ocul. canc. præparat. cornu cerv. ust. præp. corallia, antimon. diaphor. Tormentilla; contrayerva, quæ in hoc casu com mode exhibentur. Decocta quoque lignorum & radic. chinæ, habita tamen corporum ratione in quibusdam convenient. Potest vero talem in modum præparari Recp. Rad. chin. sarsæ parill. à ʒii Lig. lassafr. ʒiii sancti ʒb. tart. crud. ʒi aq. font. lb. v. macerentur per 24. horas, dein coquantur. Cola. Recp. libr. ii add. succ. limon ʒiii, sacchar. alb. ad gratum saporem, sumat pro dosi ʒvi.

LXXVIII. Iam porro videamus quomodo præter evacuantia sanguinis malam qualitatem alterantibus dicitis tollere liceat. Sæpius sanguis calidus nimis & tenuis est, facileque efferve scitum refrigerantibus, & incras tantibus medicamentis alterari deberet. Quorum medicamentorum, cum magnus numerus apud Practicos, cum de hæmorrhoidibus, tum de alijs sanguinis fluxibus agentes

proponatur, nos sequentia tantum recitare voluimus. Ex syrups sunt cydon. Rub. idæi. è ros. sic. myrrhin. granat. acidor. ribes. acetos. portulac. Ex aquis. plantaginis. portulace. rosarum; succi tamen ex plantis illis expressi. aquis destillatis potentiores sunt, & integras adhuc habent vires. Conservæ quoque, mivæ, electuaria cum ex modo enumeratis simplicibus, tum ex aliis parata usum habent. Fortiora sunt, terra sigillata, trochisc. de carab. de spod. lap. hæmatit. Pillul. de bdell. Gum. Arabi. tragac. thus. amyly. acacia &c. ex quibus sub varia forma licet medicamenta componere prout æger ea desideraverit.

LXXIX. Sub forma liquida, hunc Iulepum exhibere possumus &c. aq. rosar. plantag. acetos à ȝvj syrup. cydon; granat. acidor an ȝþ tintur rosar. ȝþ trochiscor de carab. lap. hæmatit an. ȝþ sacchari cand. q. s. F. Iulepus. Si magis arrideat Electuarium R. Confer. rosar. veter. acetosell. à ȝþ Pulv. mastich. Gum. Arab. trochisc. de spod. à ȝi tragac. ȝþ laud. opiat. gr. v. sacchar. alb. ȝj. cum syrup. rub. Idæi F. Elequarium, de quo singulis diebus mane & vesperi nucis moschatæ magnitudine deglutire potest. Forma pillularum talis esse potest Recip. pillu. de bdell. ȝþ trochisc. de carab. thur. terræ sigill. à ȝþ cum gum. tragac. aqua rosar. solut. F. pill. xxiv. quorum viii. una vice exhibendæ. Sed his diutius non immorabitur, potest enim quivis facile artem medicam intelligens alias exinde elicere formulas.

LXXX. Miscemus cum adstringentibus etiam opiatæ: hæc enim reliqua omnia in præsentim orbo longe superant quippe, quæ sanguinis motum peculiari vi cohibent, ut sunt Theriac. Andr. Mithridat. Philon. utrumque, Dia-scord. Fracastor. Req. Nicolai syrup. depapav. Diacod. Laud. opiat. & ipsum quoque opium ex quibus tum boli tum

tum potionēs confici possunt, e. g. Recip. Theriac. Andē  
recent. Ḥ Philon. Roman. Ḥ Eleosach. cinnam Ḥ F. bo-  
lūs. In forma potionis Diacod. ȝ aut syrup. de papav.  
cum aq. destillat. misceri possunt; vel laud. opiat. aut ipsi-  
us opij duo triave grana in syrup. violat. soluti, cum ali-  
quot item uncijs aq. plantag. &c. diluta, exhiberi poterunt.

LXXXI. Tertio ex fonte Diætetico auxilia petenda  
sunt: commoda enim diæta ad cauſas remotas amoven-  
das quamplurimum ſæpe valet. Quodſi igitur corpus ple-  
thoricum hunc fluxum incurrat, unde ſanguis præter natu-  
ram copiosior versus anum ſimul fluit, diæta tenuis erit  
convenientissima. Acibo multum nutritive, aut multis  
aromatibus condito; potu item generoso, ut vino Hispa-  
nico adusto, etiam cerevicia forti abſtinendum: eligendi  
contra quodammodo refrigerantes cibi, parum nutrientes,  
& potus tenues. Si vero vino quis affuetus sit adſtrin-  
gens rubrum usurpet. Tenuis & acris porrò ſanguis in  
corpore ſi fuerit, cibis crassiorem ſanguinem gignentibus  
ut oryza aut farinis, amylo p̄tisana, fructibus adstringenti-  
bus, ut cydoniis, pyris, sorbis, myrtillis, mespilis &c. uta-  
tur. Potu etiam pinguiori, & vino magis austero &c. vi-  
tentur vero omnia quæ contrario modo ſeſe habent.

LXXXII. Reliqua itidem, quæ ſupra inter cauſas  
recenſuimus, diligenter vitanda ſunt, ut motus animi, ira  
imprimis, motus corporis, medicamenta fortiter purgan-  
tia, Aloe &c. Imprimis ſuppositoria acria, & clyſteres in  
illis, qui hæmorrhoidibus laborant, caute adhiberi debent  
cum ſinistri eventus ſæpe inde prodeant, uti magno illi  
literatorum Mæcenati Peireschio clyſtere non ſatis caute  
administrato, ea facta fuit hæmorrhoidum læſio, ut gangræ-  
na ad eas partes brevi ſubnata, referente in ejus vita. Gaſ-  
ſendo l. 4. p. 158.

LXXXIV.

LXXXIII. Caussarum proximarum curationem sola  
fere pharmacia absolvit, Quamvis autem Hippocrates  
lib. de hæmorrhoidibus, eumque sequentes Medici plures,  
vasorum hæmorrhoidalium sectionem, deligationem &  
ustionem, suadentes, ad chirurgiam quoque configuant  
illas tamen operationes plures forte descripsierunt, quam  
exercuerunt, hodieque plane obsolevit. Præterquam e-  
nī quod laboriosissima illa operatio, sine maximo dolore  
perfici nequit, intestini hujus partes mebranaceæ tam ex-  
quisito sensu præditæ, & inflammationi proin valde obnoxiae  
ut non nisi gravissima symptomata metuenda sint. Ut e-  
nī reæ notat Forestus lib. 23. obs. medic 5. in scholijs  
intestini recti extremitas ita se habet, ut neque ustionem,  
neque sectionem facile sine convulsione ferre possit. Pau-  
ca certe exempla feliciter peractæ operationis ab autoribus  
annotata, ut eam admittamus vix sufficiunt. Quod  
si tamen reliquis frustra tentatis æger adstantesque con-  
sentiant, & chirurgus peritus, cum prognostico admirare  
Medicus potest. Apud Massariam l. c. Federicus Corsicus  
cui nullo modo fluxus ille potuerat restingui voluit hanc  
operationem experiri; cum vero Patavii nullus esset chirur-  
gus idoneus, Fabricius Neapolitanus qui hanc rem pro-  
fitebatur accersitus est, hæmorrhoidesque incisæ, ligatæ,  
& combustæ sunt. Supervenit febris insignis, & dolor-  
sed nonnulla sua præsidia adhibente chirurgo, ille paucis die-  
bus & à febri & dolore, & sanguinis fluxione, non sine  
multorum admiratione liberatus est.

LXXXIV. Sed missa chirurgia jam videamus medi-  
camenta huic fluxui adhibenda, quæ cum alijs sanguinem  
sistentibus, & consolidantibus convenient. Proponuntur  
quidem hic à nonnullis Practicis varia specifica hunc flu-  
xum tollentia, quæ tamen eundem effectum in nonnullis  
sanguineis

sanguinolentis fluxibus obtinent, & sunt præsertim cre-  
pitus lupi, usnea crani humani, telæ arancarum, tarsus  
barbatus, pinguedo anguillæ, quæ siccando, & vasa adstrin-  
gendo agere, nemo inficias ibit. Tarsus barbatus forte et-  
iam aliquid narcotici habet, ut Casp. Hoffm. de Medic.of-  
fic, l. 2. c. 239, censet. Anguilla pinguedo vi sua consolidan-  
di, & anodynæ juvare videtur.

LXXXIV. Ex iis autem, quæ longo numero ab omni-  
bus Practicis recensentur, varia parari medicamenta possunt,  
sub variisque formis parti affectæ adhiberi; per quam tamen  
hic intelligimus, non sedem tantum, sed lumbos quoque  
quibus unguentum comitissæ, ut & emplastrum contra ru-  
pturam, & similia, cum fructu applicantur. Fomenta, epi-  
themata, Inseffus, Balnea, Vaporationes, suffitus, quin &  
ali quando clysteres & suppositoria, sed admodum caute, ut  
supra diximus, locum habent. Quin cum suppositoria du-  
riora sint, possunt ex concerptis linteis, bombace, formate  
penicilla & debit is unguentis illini.

LXXXV. Circa inseffus, & balnea etiam notandum,  
illa non esse nimis calida adhibenda, ne intestinorum tuni-  
cas exquisito sensu præditas, comburant, & in majus pericu-  
lum incurrat æger. Si dolor conjunctus fuerit fluentibus  
hæmorrhoidibus, alia adhiberi possunt medicamenta, jam  
in clausarum curatione enumeranda.

LXXXVI. In illarum vero hæmorrhoidum curati-  
one, sanguinis vitium similiter, ut de apertis dictum, tolle-  
re debemus, quantitatem nempe evacuando, qualitatem  
corrigendo, ad partem ruentem, revellendo, quæ hoc loco  
repetere non erit necesse.

LXXXVII. Deinde tumor ipsi remedia adhibenda,  
& symptomati urgenti, dolori nempe, prospiciendum. Cum  
autem hic vasa hæmorrhoidalia tumeant, maximusque do-

lor sit conjunctus, qui in apertis non observatur, nisi raris-  
fime, videtur hic vasis tantum apertio indicari, ut & tumor,  
sanguine evacuato, desinat, & dolor quoque cesse, aut cer-  
te mitigetur. Multi etiam Practici vasis apertio nēm valde  
hoc nomine commendant. Quibus quidem non contra-  
dixerim, cum aliquando circumstantia id svadere possint,  
tutius tamen fuerit, ad apertio nēm tam promte non acce-  
dere, cum illis apertis, maxima, & tantum non lethalia pro-  
fluvia, quin etiam ulcera, fistulasve incurabiles ortas esse  
experientia testetur. Si præsertim corpus multis humo-  
ribus scateat, evacuatio per locum affectum non convenit,  
Probo igitur cum Massaria venæctionem insuperioribus  
institutam, caussarum remotarum sublationem, & deinto-  
pica.

LXXXIX. Sunt autem topica illa remedia huic tu-  
mori convenientia, itidem variā, quorum quædam dolorem  
demulcent, quædam materiam in hæmorrhoidibus con-  
tentam resolvunt, quædam verò exsiccant. Inter hæ-  
morrhoides deinde ipsas, non parvum est discriminē, nec una  
semper, & eadem de causa dolent, aliquando autem immo-  
dica caliditas adest, aliquando frigidiori materia, aut flatu  
intumescunt, ubi tum pro varietate caussæ doloris etiam  
remedia debent esse varia. Ut mirari subeat illos Medi-  
cos, qui sua specifica contra hæmorrhoides tantum crepant,  
& indistincte ad quosvis earum dolores, quævis adhibent.  
Recitatimus nonnulla, quæ tamen prudenter à Medico u-  
surpanda sunt, habita omnium circumstantiarum ratione.

LXXXIX. Primo fere loco nominandum est lac, & quæ  
ex lacte parantur, flos lactis, butyrum recens, panis tritus  
in lacte coctus, herbæ emollientes, anodynæ, in eo decoctæ.  
Emollit enim lac dulce tepidum, lenit, habetque vim ano-  
dynam. Nullum semicupio factō ex lacte tepido præstaurius est.

in quo, si ager per horam, aut dimidiā horam sedeat, ex tempore fāt  
nus evader, inquit Zacut. Lusitanus Prax. histor. lib. ult. n. III.  
obs. 1. subjungit. Quod si libram olei papaveris, & dimidiā violacei  
in balneum proicias, excellenius prasidium administrabitur. Et ita  
quidem dum tumor emollitur, dolorq; cessat, per alia remedia  
revulsoria sanguis ab affecto loco retrahi poterit.

X C. Postea olea imprimis commendantur, lini, sesami,  
amygdalarum, persicorū, cerasorum; ex seminibus expressa de-  
in cocta, & infusalilior albor, hyperici, rutæ:linimenta etiam, &  
unguenta, ut diapopuleon & quod ex linaria cum adipe porcino  
fit Joh. Wolfio apud Horst. l. 4. obs. 50. tantopere commenda-  
tum. Neque verò necesse est, ut in his thesibus omnia, quæ apud  
Practicos habentur, recitemus, quia potius ad Solemandrum l.c.  
aliasque remittimus.

X C I. Dolor summus ad Narcotica confugere sæpe nos  
cogit, possuntque cum ex aliis tum ex hyoscymo fatus fieri ole-  
um itidem ejus adhiberi, & ipsum denique opium seu laudanum  
opiatum, tum extra, tum intus.

X C II. Hoc vero imprimis notari meretur, dum hujus-  
modi remedia administrantur, sæpius locum affectum à Chirur-  
go esse diligenter inspiciendum, ne contingat, quod refert Aquap-  
pendens p. 299. de quodam febricitante, qui, cum hæmorrhoides  
dolerent, oleum rosaceum inunxit: dum autem locus po-  
stea inspiceretur, omni ex parte gangræna affectus, & in super-  
ficie sphacelo deprehensus est.

X C III. Hippocrates in tumentibus hæmorrhoidibus  
Chirurgiam proponit, uti varices alibi quoque in corpore pri-  
sci excindere solebant. Et modum quidem cum apud veteres  
ipso, tum apud Aquapendentē explicatum legere licet. Cru-  
delis vero illa operatio in usu esse desit. De Episcopo quo-  
dam Duretus ad Holler. l. c. p. 578. scribit, lino ipsi hæmor-  
rhoidem esse constrictam, ut excideret, & moreretur, sed natam  
inde

Inde doloris acerbitatem, ac in convulsionem incidisse: subjungit prudenter: illud est manu chirurgica curare, non sanare. Aquappendens etiam, cum doloris acerbitatem proposuisset, in intestino adeo sensili, subjungit: propter quam caussam ego tumentes hæmorrhoides potius medicamentis, quam chirurgia curavi, ut in se in aquis thermalibus, & spongiis ex aqua thermalis expressis, & arte supra anum alligatis, & compressis, item radicibus porrorum in oleo communi aut myrrhino decoctis, scrophularia radice, in aqua decocta, contusa & imposta: spongia ex aqua calcis expressa, & alligata.

X C IV. Id quoque memorandum videtur, quamvis topicorum ad tumentes hæmorrhoides Practici potissimum faciant mentionem, tamen interna etiam quædam medicamenta, ad eas absumentas commendare, imprimis illa, quæ specificie juvare scribunt. De chelidonio minore id testatur Solenander sect. 4. consil. 20 non tantum externe adhibitum prodesse sed & interne sumtum. Et Henricus ab Heer. obs. rarar. 20. Scrophularia radicem, aut folia cum cibo, & potu miscere jubet, ad dolorem sedandum. Licet vero hic experientia fortè non sit æque certa, nec ratio de omnibus dari possit de quibusdam tamen id concedere possumus. Ita in vita Peireschii à Gassendo descripta l. 4. p. 158. mentio fit Aqua in Zembiorum insula scaturiente, quæ bibita, his doloribus sedandis mire conducat, cuius utilitatem Andreas Davoria sic expertus, ut & Genua quæsumit ex ea mitteret.

X C V. De diæta non est, ut iterum aliquid moneamus. Ita quoque si flatu lensus sanguis, diæta contraria instituenda est. Cum à crasso sanguine oritur, cibi, potusque crassum sanguinem corrigit, feligendi sunt. Imprimis autem danda opera, ut alvus quotidie respondeat, ne à scybalis magno conatu expressis affectus exacerbetur.

X C VI. Reliqua quæ supervenire hæmorrhoidibus possunt, & aliquando solent, inflammations, gangrenæ, ulcera, fistulæ, peculiarem considerationem non merentur, sed suis locis à Practicis tractantur.

SOLI DEO GLORIA.

01 A 6559


ULB Halle  
002 936 151

3



56.

V 17



B.I.G.



DISPV TATIO MEDICA  
IN AVGVRALIS  
DE  
**HAEMORRHOIDIBVS**  
*QVAM*  
D. O. M. A.  
AVCTORITATE ET CONSENSV INCLVTI  
MEDICORVM COLLEGII IN ILLVSTRI  
ACADEMIA JULIA  
PRAESIDE  
VIRO CLARISSIMO  
**DN. HENRICO MEIBOMIO**  
MED. DOCTORE ET PROF. PVBL.  
MEDICÆ FACVLTATIS DECANO  
SPECTABILI ET ARCHIATRO  
GVELPHICO  
DN. PATRONO PRAECEPTORE ET PROMO-  
TORE PLVR. VENERANDO  
PRO LICENTIA  
**SVMMOS HONORES ET PRIVILEGIA**  
DOCTORALIA IN ARTE MEDICA RITE  
CONSECVENDI  
PUBLICE IN JULE O MAJORI  
EXAMINANDAM PROPONIT  
**PETRUS CHRISTOPHORUS Stockhausen**  
GOSLARIENSIS  
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS  
AD DIEM XXIX DECEMB.  
HELMESTADII,  
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typogr.  
ANNO CIO IC C LXX.

